

nuntia tulerat, de filiorum interitu, de clade armentorum, etc. ut hac ratione Jobum ad impatientiam impelleret. Similes huic sunt, quid sub specie amicitiae acerbis et iniquis nuntiis aures aliorum implent, ut discordias seminent. Bene Diogenes cuidam tali, qui amici calumnias in eum dictas ei recensuit, respondit: *An amicus id dixerit, dubium est, de te autem mihi manifestum est.* Quare si quid sinistrum de proximo dici audimus, quod verisimile appareat, moneamus de hoc proximum, ut se emendet: si falsum esse existimamus respondeamus pro absente, et obstruamus os susurranti, dictumque oblivione sepeliamus, juxta consilium Sapientis, Ecclesiast. cap. XIX. *Audisti verbum adversus proximum tuum? Commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet.*

Maxime vero hoc observent, qui in magna hominum existimatione vel dignitate positi sunt. Unde enim putatis fama illa increbuit, qua Christus dicebatur esse Joannes Baptista? Utique ex eo, quod Herodes audiens famam Jesu, per ineptiam dicebat Joannem a se decollatum resurrexisse, et hunc esse Christum, Matth. XIV. Hoc ergo velut regis verbum populus mox arripuit et credidit Christum esse Joannem. Verba igitur magnatum, quia ponderosa sunt, scindunt longe atrociter et vulnerant gravius, si falsa et iniqua sint, quam verba privatorum hominum.

IV. Videmus plus requiri a clericis, quam a laicis, a veteranis Christianis, quam a novitiis, a civibus quam a rusticis, et universim ab iis, qui verbum Dei crebrius audierunt vel audire potuerunt quam ab aliis, qui non potuerunt. Hoc enim innuit Dominus, cum ait ad discipulos: *Vos autem quem me esse dicitis? q. d. miror si plebeii erroneas de me opiniones habeant; at vos melius eruditi estis, melius proinde et rectius de me sentire debetis.* Qui plus temporis in scholis consumpserunt, plus tenentur scire, quam qui heri inceperunt. Præstitit hoc Petrus cum condiscipulis: cum enim reliquorum hominum de Christo opiniones humi serperent hominemque tantum in Christo agnoscerent, ipse in cælum evolavit, et divinitatem Christi vidit ac confessus est.

V. Videmus Petri primatum super alios apostolos, ut qui solus velut caput apostolorum, et Ecclesie futurus confitetur Christi divinitatem et humanitatem: et cui soli dicitur: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: item: *Et tibi dabo claves regni cælorum.* Quid enim traditio clavium nisi plena et summa potestas ad regendam Ecclesiam? Sic enim accipitur clavis Isaie, cap. XXII. ubi de instituendo novo pontifice dicitur: *Dabo clavem domus David super hu-*

*merum ejus.* Ad Petrum igitur seu successores ejus pertinet dicere sententiam in rebus fidei dubiis. Quid ad hæc hæretici, qui primatum in Ecclesia negant? Aiunt etiam reliquis apostolis datam esse a Christo plenariam potestatem ligandi et solvendi, Joan. XX. ac proinde parem. Sed respondetur cæteros apostolos in hoc fuisse pares Petro, primo, quod a Christo immediate auctoritatem ecclesiastici ministerii habuerunt: secundo, quod eam ita acceperunt, ut ea ubivis locorum rite et legitime uti possent, non in hac vel illa mundi parte dumtaxat. Cæterum potestas Petri quoad duo præcellentior fuit primum, quia eam potestatem accepit ut ordinariam, quæ proinde post ejus mortem transit ad ejus successores: cæteri apostoli ut delegatam, quæ non transit ad successores, ut videlicet ubivis locorum uti potestate sua possent, sed cum illis extincta est. Secundum, quia potestas aliorum apostolorum subjectionem quamdam annexam habuit ad Petrum: Petri vero potestas omnino absoluta et summa fuit. Huic enim soli dictum est: *Tibi dabo claves regni cælorum*: et: *Pasce oves meas*: et: *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

VI. Videmus quæ sit vera Christi Ecclesia; illa nimirum quæ semper viget, et a portis inferi nunquam opprimitur. Talis autem non est nisi Ecclesia catholica; siquidem aliæ antiquorum hæreticorum sectæ prorsus extinctæ sunt, recentiorum vero ante centum annos non fuerunt. Ergo vel illæ errarunt aut errant, vel Christi verbum mendax est, quod nefas foret cogitare. Igitur nos in hac Ecclesia quæ petra est, et invicta hætenus semper perstitit, firmiter persistamus, et in ea fidem nostram solide fundemus; non ob terrenum aliquod commodum, sed Dei et salutis nostræ amore. Audiamus D. Bedam, in homilia: « Portæ inferi, inquit, doctrinæ sunt nequam, quæ seducendo imprudentes ad inferos trahunt: portæ quoque inferi et tormenta et blandimenta sunt persecutorum, quæ infirmos quosque deterrendo, vel emolendo a stabilitate fidei, introitum eis æternæ mortis aperiunt. Sed et fidelium opera, ineptaque colloquia, portæ utique sunt inferi, in quantum suis vel fautoribus, vel sequacibus iter perditionis ostendunt. Multæ sunt itaque portæ inferi, sed harum nulla Ecclesie, quæ super petram fundata est, prævalet. Qui fidem Christi intimo amore perceperit; omne quidquid exterius periculis tentandis ingruit, facillime contemnit; at quicumque crediturum fidem vel opere, vel negatione depravatus proderit, non hic supra petram, Domino cooperante, domum suæ possessionis ædificasse, sed juxta alterius loci parabolam super arenam, sine funda-

mento posuisse credendus est; hoc est, non simplici ac vera intentione Christum sequi, sed terrenam quamlibet fragilemque ob causam, habitum prætendisse Christiani. » Sic ille.

VII. Videmus plenariam Petri et pontificum ejus successorum potestatem ad ligandum et solvendum, adeoque non solum ad culpas per absolutionem, verum etiam ad pœnas per indulgentiam remittendas, necnon excommunicandum rebelles, ad ferendum leges, ad dispensandum, ad suspendendum, ad interdicendum, certos casus reservandos, etc. ait enim Dominus universim: *Quodcumque ligaveris super terram; quodcumque solveris.* Ab illis accipiunt inferiores ministri potestatem ordinis et jurisdictionis, eam-

que tantam, quanta illis arbitrio pontificum conceditur. Quemadmodum paterfamilias solus habet clavem capitalem seu generalem, quæ omnes seras aperit et claudit: cæteri domestici habent tantum partiales ad quædam aperienda, non omnia.

Fidelis sermo et omni acceptione dignus est inter: *Tibi dabo claves regni cælorum.* Posuit olim Deus flammeum gladium ad portas paradisi custodiendas ne quis introiret. Nunc Christus veluti faber quispiam ex gladio claves conficit, quibus aperiatur paradus. Verum claves istæ tantum aperiunt in hoc sæculo; dicitur enim: *Quodcumque ligaveris super terram.* Ergo janitor hic quærendus.

## AUCTARIUM

### CONCIO I.

CHRISTIANI ET IPSI SINT PETRA, SICUT PETRUS ET PAULUS.

I. Sint refugium miserorum. — II. Sint patientes injuriarum. — III. Defleant jugiter peccata sua. — IV. Sint solidi in fide et charitate. — V. Sint munimentum et defensores Ecclesie, uti Petrus et Paulus.

### THEMA.

*Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. XVI.

Propheta Isaïas, ut Hebræorum populum officii sui admoneret et ad meliorem frugem efficaciter perduceret, proposuit illis in exemplum simul et stimulum, patriarcham suum Abrahamum et matrem Saram: ut eos velut filii non degeneres imitari conarentur: *Attendite ad petram*, inquit, *unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua præcisi estis*, Isa. LI. moxque indicans petram illam, subdit: *Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram, quæ peperit vos*, quasi diceret: Videte quales parentes habueritis; Abraham scilicet et Saram, instar petre solidissimos in fide, pietate et justitia: vos igitur ne degeneres eorum filii sitis: petre estote, quemadmodum et parentes vestri petre fuerunt. Non possum ego vos, auditores, melius exhortari ad officium vestrum, quod est hominis christiani, nisi proponendo vobis patriarchas vestros; Petrum, cui velut petre et fundamentali lapidi suam Christus inædificavit Ecclesiam: e quo velut patre (post Christum) vos

omnes excisi estis, quia a Romana ejus sede fidem accepistis; deinde Paulum, velut matrem, qui 1. Cor. III. ait: *Lac vobis potum dedi, non escam*, a quo velut matre solidissimum fidei lac suximus omnes nos. Attendite ad hos parentes vestros, et videte ut filii eorum sitis, adeoque etiam petre, quoad fieri potest. Qua vero ratione, id nunc videndum.

I. Petre asylum quoddam et refugium sunt tum hominum, tum bestiarum. De his testatur Ps. CIII. *Petra refugium erinaceis*: et Prov. XXX. *Sapiens: Lepusculus plebs invalida collocat in petra cubile suum*: et Cant. II. *Columba invitatur ad foramina petre*. De illis testem habemus Davidem, qui fugiens Saulem, ascendit super abruptissimas petras, ut lateret in spelunca, 1. Reg. XXIV.

Petra talis fuit S. Petrus miseris et errantibus. Nam primo, in pentecoste, cum territi ac compuncti essent Judæi Jerosolymis sub adventum Spiritus sancti, cum spiritu vehementi in forma ignis de cælo emissi, etc. dixerunt ad Petrum et alios discipulos: *Quid faciemus, viri fratres? Act. II. Sicuti enim cæci ducibus se contradunt*, ait gl. vel sicut ægri medico, naufragi gubernatori se committunt, ab iisque opem expetunt. Quid ageret hic Petrus? Petram se exhibuit, refugium erinaceis, dum ad pœnitentiam eos et baptismum adhortatus est, sicque Christo reconciliavit. Ad hanc eandem petram confugit, seque affixit ille claudus, qui a Pretro erectus, tenuit Petrum e Joannem: *Tamquam salutis suæ auctores et conservatores* (ut ait Oecumenius) ambulans cum eis, Act. III. Postea homines illi, qui in plateas ejicie-



dant ægros, ut veniente Petro, saltem umbrallius obumbraret eos ac sanaret: *Concurrebat et multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros et vexatos a spiritibus immundis, qui curabantur omnes*, Act. V.

Quid vero de Sancto Paulo dicemus? Nonne et ipse miseris tale refugium fuit? Fuit certe: nam de eo scribitur, Act. XIX. homines ejus corpori abstraxisse sudaria et semicinctia, et posuisse super ægros, qui mox curabantur; multosque credentes ad eum venisse: *Confidentes et annuntiantes actus suos*.

Ergo et vos, Christiani, date operam ut hujusmodi petrae miseris et afflictis sitis. Sint domus ditiorum refugia et asyla pauperum: scientiæ doctorum asyla ignorantium. Exemplo prævit sub lege naturæ S. Job habitans inter idololatrias, qui de se ait, c. IX. *Oculus sui cæco et pes claudo; pater eram pauperum*. Juvit enim et defendit causas eorum, qui calumniis opprimebantur, ut paulo ante dixit. Consulamus et nos cæcis, sublevemus pauperes. Judæi hanc legem habebant: *Ingressus vineam proximi tui, comede uvas, quantum tibi placuerit; foras autem ne efferas tecum, si intraveris in segetem amici tui, franges spicas et manu conteres, falce autem non metes*, Deut. XXIII. Eadem ratio erat de fructibus hortorum, ut vult Abulensis. Et hoc in gratiam pauperum, qui vineas, agros et hortos non possidebant, ut haberent pro solatio in necessitate famis, refugium ad divites. Quod si hoc Judæis mandatam fuit, annon decebit potius Christianos, quibus tam serio præcipit Christus: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem?* Et cur, rogo, Deus in petris tot speluncas et cavernas, tot meatus et foramina fecit, nisi ut in iis refugium quærere tam homines quam bestiarum possent? Et cur divitibus tot domos, vineas, hortos, horrea, cellaria dedit, nisi ut in illis refugium suum pauperes quærant et inveniant?

II. Petrae omni sensu ac motu carent; unde hominem stupidum et sensibus destitutum, lapidem aut petram appellamus. Itane vero tales Petrus et Paulus? Sane tales erant, quando audierunt probra et contumelias, necnon et laudes suas. Sanctus Antonius eduxit aliquando Ammonem discipulum suum foras ad unum saxum, dicens: *Vade, et injuriare lapidem hunc, et indesinenter cæde illum*. Quod cum is fecisset interrogavit eum Antonius, quid lapis ei respondisset. At ille: *Nihil*, inquit. Rursum ut eum laudibus extolleret; et post: *Nunquid tibi respondit, ait. Non*, inquit ille. Cui abbas: *Ita et tu fac*, auct. Græco incerto, in vitis patr. I. VII. apud Rosweidum. Simile refertur de abb. Anub. ibid. libro V. libello XV. Talis petra Petrus, qui una cum collegi-

cæsus a Judæorum magistratu, ibat eum illis gaudens a conspectu concilii: *Quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*, Act. V. Non solum ergo patienter, sed et lætanter verbera tulit. Ad quod etiam nos hortatur, in ep. 1. c. IV. *Communicantes Christi passionibus, gaudete, ut et in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati. eritis, etc.* Quinetiam a collega Paulo reprehensionem ob errorem vel levem vel materialem tantum, patientissime accepit. Fecit eo superior, ad Gal. II. a Christo etiam non semel reprehensus, et *Satanas* appellatus. humiliter *acquievit*, nec verbo se defendit, Matth. XVI. § XXIII. Similiter et Paulus in suis tribulationibus et vinculis ait: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, II. Cor. VII. Vicissim etiam laudibus nihil movebatur, ut indicat I. Cor. IV. verbis illis: *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer aut ab humano die, etc.* Petrus, cum populus admiraretur et intueretur tamquam virum quemdam stupendum, post claudi erectionem, mox gloriam hanc a se amolitus est dicens: *Quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra a virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus glorificavit Filium suum Jesum, etc.* Act. III. Paulus vero, cum Lycaones vellent ipsi ac Barnabæ tamquam diis immolare tauros, conscissis tunicis, exilierunt in turbas clamantes: *Viri, quid facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines, etc.* Act. XIV. Denique, quando dæmon in puella Pythonissa sequebatur Paulum et socios Philippis clamans adulatorie: *Isti homines servi Dei excelsi sunt*, dolens Paulus eiecit dæmonem, nec ab eo voluit quidquam laudis accipere, veluti suspectum, Act. XVI. Et sane mox expertus est in quem finem commendavit eos dæmon, nimirum ut expulsus a Paulo heros Pythonissæ jam privatos suo divinationis quæstu, quem ex puellæ responsis perceperant, concitaret adversus Paulum, ut eum vel mulctarent, vel civitate ejicerent. Pauli enim caput petebat hac laudatione dæmon, ut ejus prædicationi et proinde gentium conversioni poneret obstaculum, ut observat ibi P. Cornelius a Lapide. Notate hoc, auditores. Quando vos diabolus in suis instrumentis laudibus prosequitur, tunc vos persequitur et in ruinam impellere nititur.

III. Petrae nubiloso tempore aquas stillant, iisque jugiter distillantibus, rimas et sulcos contrahunt: sua enim frigiditate contiguum aerem in aquas mutant, ut observat Curchorius, in suo repertorio. Talis S. Petrus, qui post negationem tota quasi vita, licet sciret condonatum sibi peccatum, flere consuevit, præsertim audito gallici-

nio; adeo ut oculi ejus apparerent quasi sanguine respersi et genæ ejus sulcatae, ut testatur S. Clemens ejus discipulus. Similiter S. Paulus, qui post conversionem suam passim inter poenitentes se collocat, uti I. Cor. XV. *Ego sum minimus apostolorum, qui non sum dignus vocari apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*. Quo etiam spectare potest, quod ad Rom. IX. ait: *Tristitia mihi magna est et continuus dolor*. Nimirum sicut gentilium figmento (adeo etiam ipsis naturæ lumen hoc dictavit!) Prometheus a Jove liberatus et vinculis Caucasi montis, quibus erat ligatus, annulum semper ferreum gestare debuit in memoriam sui delicti et vinculorum, quibus pedes ejus erant constricti, ut refert Pierius, l. XXXVI. sic illi memoriam suorum peccatorum semper circumferebant, et lacrymis lavabant; quasi semper animo revolventes id Ps. L. *Amplius lava me ab iniquitate mea*. Igitur id ipsum nobis quoque faciendum, et post dimissa peccata semper eorum poenitentia retinenda: (unde dicitur *poenitentia quasi poenitentia*). Ita monet Ecclesiasticus, c. V. *De propitiato peccato noli esse sine metu*. Hinc Deus Judæis vincula et servitatem, qua in Ægypto tenebantur, sæpius inculcat, uti Exod. XX. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo servitutis: et rursum, Levit. XXVI. Ego Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne serviretis eis: et qui confregi catenas cervicum vestrarum, ut incederetis erecti*. Vincula et servitus illa, peccata designant, teste Orig. hom. XVI. in Gen. Hujusmodi autem vinculis quis non aliquando constrictus fuit? Quis gloriari potest se non fuisse unquam unum ex illis, qui ore fatentur se nosse Deum, factis autem negant, adeoque Petro neganti, aut Paulo persequenti similem? Qui ergo secutus es delinquentes, sequere et flentes.

IV. Petrae solidissimæ sunt, rident omnia tormenta, omnes fluctus, omnem impetum, adeoque sunt immobiles. Talis erat post acceptum Spiritum s. Petrus tam in fide, quam in charitate. Sic enim Act. IV. denuntianti magistratu Judæorum, ne in nomine Jesu loquerentur amplius, aut docerent, respondit: *Si justum est in conspectu Dei vos audire potius quam Deum, judicate*. Quasi dicat: *Non possumus, non volumus*, ait glossa. Et cum postea iterum docentes retraherentur ad concilium et denuo reprehenderentur, respondit eis: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*, Act. V. Qua sententia perstringit etiam judices, quod cum Deo pugnent; ut advertit S. Chrysostomus eo loco.

De Paulo quid dicam? Unum id nunc sat erit, quod Act. XXI. legimus. Cum enim proposuisset

ire Jerosolymam ex Asia, licet eum discipuli Tyri ab eo itinere, velut sibi periculoso, dehortarentur; uti et propheta Agabus Cæsareæ, prædicans illi vincula et tribulationes Jerosolymæ sustinendas, simulque alii flentes circa ipsum; Paulus in proposito persistens: *Quid facitis, inquit, flentes et affligentes cor meum? Ego enim non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum, propter nomen Domini Jesu*.

Ergo et nos Christiani simus immobiles in fide, in amore Dei et in virtutum proposito; sit cor nostrum petra solida ad tuenda Dei mandata, juxta id Ecclesiastici XXVI. *Fundamenta æterna super petram solidam, mandata Dei in corde mulieris sanctæ*. Ergo et mulieres petrae esse possunt si velint. Et fuit certe talis B. Anastasia, Publici viri clarissimi, sed gentilis, conjux, quæ ut abnegaret Christum, ab Ulpiano ad tertium diem dilata pro responso dando, moræ impatiens: *Jam, inquit, existima hos tres dies elapsos esse; nam eadem quæ nunc est, animi tunc sententia erit*, Lipel. 15. dec. At non omnes sunt hujusmodi. Deprehensa fertur aliquando puella quædam, quæ accusabat adolescentem stupri per vim illati. Condemnato ad mulctam, quam ea petebat, juvene, subornavit judex aliquos, qui abeunt puellæ pecuniam vi extorquerent velut prædones. Quo facto, illa vociferari, et opem transeuntium magnis clamoribus implorare. Quare ad judicem retracta et pecunia ei adempta juvenique restituta est, dicente judice: *Si cum timuisti perdere nummos, vociferari et opem implorare, ac resistere potuisti; cur non id ipsum, cum juvenis te sollicitaret, fecisti?* Joan. Paulus in jocosereis. Multi huic puellæ similes sunt petrae, quando esse volunt; non sunt, quando nolunt. Dicamus nos, cum iniquum aliquid a nobis petitur, cum Isaia, c. L. *Posui faciem meam ut petram durissimam*.

V. Petrae munimentum sunt præsidii, urbibus et arcibus. Ita SS. Petrus et Paulus munimentum erant Ecclesiæ, dum contra varios tyrannos Maxentium, Maximinum, Lucinium defenderunt eam, duce Constantino; cui in somno apparentes, salutis viam ostenderunt. Munimentum urbis Romanæ, dum eam muri partem, quæ ad portam Pincianam, ruinam minabatur, defendit Petrus contra Gotthos, ut Procopius, l. I. belli Gotthici refert. Munimentum cathedræ apostolicæ; de quo Sanctus Gregorius Pp. ad Rusticianam patriciam scribens ait: «Sollicite debetis aspicere, quanta B. Petri apostolorum principis in hac urbe protectio est, in qua sine magnitudine populi et sine adjutorio militum, tot annis inter gladios illæsi, Deo auctore servamur.» Munimentum Italiæ, dum Attilam terruerunt, in Italiam tendentem ad-



tantes S. Leoni et strictis gladiis Attilæ minitantes. Baron. t. VI. ann. Denique, Petrus conversus confirmavit omnes fides, prout jussus fuit a Christo: *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, uti fecit in epistolis suis; in quarum 1. cap. IV. ait: *Christo igitur in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini*. Ac licet omnem carnalem affectum erga uxorem exuisset, spiritualem tamen non exuit; sed cum illa duceretur ad martyrium, eam confirmans ait: *Heus! tu memento Domini*, ut refert Clemens Alexandrin. l. VII. Strom. Possumus et nos multoties, modo velimus, petra et munimentum esse miseris et afflictis, viduis et pupillis; de quo S. Jacobus, c. 1. ait: « Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum. » In qua religione eminuit S. Ivo, quem Clemens VI. pontifex retulit in sanctorum album, anno D. 1347. de quo auctor vitæ gravis inter alia hæc: « Pupillos et orphanos egregie tuebatur, et eorum causa in diversis locis adibat judicium, patronum se illis exhibens; neque tamen id spe alicujus muneris aut præmii, sed pietate et justitia permotus, imo vero suis impendiis illorum causas defendebat apud judices, ut posset a Domino audire: *Quod uni ex minimis meis fecisti, mihi fecisti*. Inde factum est, ut in illa regione merito appellatus sit advocatus pauperum: » et antèrius: « Orphani afflicti, calamitosi homines ejus fovebantur humanitate et patrociniis: inter discordes conciliabat pacem et amicitiam: eos, qui carceribus detinebantur, hortabatur ad patientiam: et cum proferenda ab ipso esset in judicio sententia, sine lacrymis id non faciebat: » et inferius: « Alienigenas, pauperes, item egenos mala affectos valetudine, deformes, haud secus ac fratres suos humaniter exceperit: ad mensam sibi assidere voluit, de cibis suis apposuit, lectos apparavit, propriis manibus illorum pedes abluvit. » Hinc meruit, ut panes erogando in pauperes, divinitus ipsi multiplicarentur, et Christus, aut certe angelus, pauperis specie socium se præbuerit. Huic jure accensemur Antissidorensem illum archidiaconum, in vita S. Genovefæ, apud Lipel. 2. jan. qui Parisios adveniens, cum videret populum magno concursu de certo mortis genere, quo sanctam virginem Genovefam pia suadentem perdere moliebantur, consultantem; vultu imperterrito eos dehortari ab immani scelere et delinire satagens: « Nolite, inquit, o cives, nolite tantum facinus mente concipere. Hanc siquidem Genovefam s. pontifex Germanus venerabili voce laudare, et vitæ ejus merita prædicare crebro consuevit. En quas a memorato antistite ad eam eulogias (panes benedictos) defe-

ro. » Hac voce malignantium illorum consiliur penitus dissipavit.

Quare, o Christiani, attendite ad petram, e qua excisi estis: attendite ad Petrum ejusque socium Paulum: *Isti sunt patres tui* (ait S. Leo papa serm. 1. in nat. horum apost.) *verique pastores qui te* (o Roma, imo et Germania) *regnis cælestibus inserendam condiderunt*. Videte ut pro modum vestro et vos quoque petrae sitis, etc

## CONCIO II.

## QUOMODO PETRUS SUA MORTE CLARIFICAVIT DEUM

I. Clarificavit, vitam et sanguinem pro Christo dando. — II. Morte ignominiosa et acerbissima crucis. — III. Corpore inverso volens crucifigi. — IV. Ecclesiam suo martyrio illustrando. — V. Magistrum in difficillimo itinere perfecte sequendo.

## THEMA.

*Tu es Christus Filius Dei vivi*. Matth. XVI.

Grata quidem est vox bene et suaviter canens: si tamen ei accinas cithara aliove instrumento musico, multo gravior fiet. Hinc David, ut speciosam valde Deo laudem caneret, cantilenam suam citharam addidit, Ps. XLII. *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus*. Pulchra etiam fuit confessio S. Petri, quam in hodierno evangelio Christo dedit: *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Verum vocalis tantum: non etiam instrumentalis fuit, non vox citharædi. Citharæ cantus carnis mortificatio est, teste Beda, Remigio et aliis eo loco: extensio membrorum est in catasta, equuleo et cruce. Non admodum difficile est confiteri Deum voce: sed cum cithara confiteri expansis nervis in catasta et cruce, inter flagella et scorpiones; hoc uti majoris est suavitatis, ita et majoris longe difficultatis. Lucia virgo coram Paschasio præfecto accusata, christianæ fidei laudes canebat. Cui præfectus: *Cessabunt verba, cum ventum erit ad verbera*. Sed deceptus fuit, quia et inter verbera Christum confessa est. Forsan et Petro dicere quis potuisset: Tu quidem nunc magistrum tuum Dei Filium confiteris, sed voce canis non cithara: *Cessabunt verba, cum ventum erit ad verbera*. At vero Petrus hodie contrarium demonstravit. Quem enim olim voce sola confessus est Dei Filium, eum hodierna die in morte quoque et cruce, adeoque in cithara, etiam glorioso martyrio glorificavit. Quod quidem illi Christus prædixit, Joan. XXI. *Cum esses junior, cingebas te et ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et*

ducet quo tu non vis. Addit Joannes: *Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus* (Græce glorificaturus) *esset Deum*. Ergo Petrus in morte demum et cruce Deum plene clarificavit; quia voce simul et cithara, expansus et pulsatus in cruce, quando clavis et malleo affixus, ibi demum dicere poterat: *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus*. Cæterum qua ratione Deum in martyrio suo glorificavit, plenius nunc videbimus.

I. Clarificavit primo, quia pro Christo ejusque fide vitam et sanguinem suum dedit. Qui pro gemma aliqua magnum pretium dare renuit, non magni eam æstimat: at qui ingentem auri summam offert, hic illam magni æstimat, eoque magis, quo plus dare paratus est. Hinc Matth. XIII. proposuit Christus parabolam de margarita pretiosa, inventa a mercatore; quam ut emeret, vendidit omnia quæ habuit. Margarita illa Christus est ejusque fides. Hanc invenit Petrus, quando Christum agnovit et secutus est: emit deinde, quando pro eo in corde per amorem retinendo, dedit quidquid habuit, vitam ipsam et sanguinem. Qui jam non pluris æstimet Christum, quam totum mundum omnesque ejus opes, quem vita sua emit tam prudens mercator? Quis enim omnia mundi regna vellet emere dispendio vitæ suæ? Ad quid illi prodesset emptio illa? Et quid pretiosius vita possidemus? Vidit autem Petrus in Christo thesaurum toto mundo majorem, adeoque vita etiam sua. Glorificavit ergo Deum et clarificavit Christum, extollendo ejus dignitatem super omnia creata. Atque hic est triumphus ille, de quo apostolus, II. Cor. II. ait: *Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo*, hoc est, triumphum suum agit per nos, ut exponit S. Hieron. epist. CL. ad Hedibiam. « Cum enim quis viderit, inquit, tanta perseverantia stare martyres atque torqueri atque in suis cruciatibus gloriari, odor notitiæ Dei disseminatur in gentes: et subit tacita cogitatio, quod nisi verum esset evangelium, nunquam sanguine defenderetur. » Neque hoc solum, sed, ut dixi, gloria ipsius Dei mire amplificatur, pro quo lucrificando tantum pretium offertur. Othonem imp. gentilem, quanti æstimarint ejus milites, demonstrarunt aliqui per hoc, dum, eo mortuo, prope rogum ejus seipsos occiderunt: alii absentes, nuntio de ejus morte accepto, pari modo vim vitæ suæ intulerunt, quasi sine eo vivere nec vellent nec possent, Cuspinian. Barbarum quidem hoc, indicium tamen est, quantum amarint quantique æstimarint suum imperatorem christiane et sapienter. Petrus sanguinem pro Christo dedit iis, qui Christum ipsi auferre de corde moliebantur. Sic glorificavit eum,

quem velut summum bonum, vitæ suæ adeoque rebus omnibus et toti mundo anteposuit.

II. Quia non qualicumque morte sed acerbissima et contumeliosissima glorificavit Deum, morte scilicet crucis, quæ tunc suppliciorum omnium erat dirissimum: ut quemadmodum ipse a Christo non quacumque morte, sed morte crucis emptus fuit, sic et ipse Christum ejusque visionem in cælo emeret eodem crucis pretio. Patroclus in bellum proditurus, reliqua Achillis arma sibi assumpsit, solam hastam ejus, ut gravem valde et prævalidam, non attigit, auct. Plutarcho, in moral. Multi quidem reperti sunt, qui pro Christo proba aliqua vel jacturam bonorum suorum sustinuerunt: mortem tamen oppetere timuerunt, gravium præsertim suppliciorum; quorum infamia aut acerbitate absterriti, vel ad eremos fugerunt, vel quandoque tormentis victi Christum negarunt. At vero Sanctus Petrus non solum alia, quæ inferbantur ei, Christi tormenta, uti falsas criminationes, confusionem et flagella sustinuit; sed etiam hastam crucis ejus admodum ponderosam, in civitate totius mundi celeberrima. Quia enim petrae nomen commune sibi cum Christo nactus fuit, communem etiam crucem sustinere eum decuit. Christus in monte Calvaria, Petrus in monte aureo crucifixus fuit. Ludovicus Thuringia princeps amorem suum erga Elisabetham sibi desponsatam ostensurus, præferrebat eam monti aureo. Vicissim ipsa dicebat, se amore Ludovici non ægre per totam vitam victuram in paupertate, ut in vita S. Elisab. Sur. in nov. Ulterius adhuc progressus est S. Petrus, qui amorem suum in Christum contestaturus, opprobrium crucis subiit maximo suo gaudio. Hic est aureus ille perfectæ charitatis mons, quem ascendere paucorum est. Plerique in *Segor*, hoc est, *parva* et humili dilectione cum Loth manere volunt, Gen. XIX.

III. Quia inverso corpore crucifigi petiit, et quod petiit, obtinuit, indignum sese ratus eo, quo divinus suus magister in cruce pependit, modo crucifigi, ut testatur inter alios S. Augustinus, serm. XXVIII. de sanctis, et S. Chrysost. hom. in princ. apost. Miranda prorsus apostoli observantia erga Christum. Itane vero gloriæ et honori in infami etiam cruce locus est, ut eum cedere Christo velit? Deprecandis locum Petrus, et vidit sibi in cruce non deberi locum, nisi inverso capite. Primo, quia intellexit se esse arborem rectam, quæ radices in terra et ex terra habeat: Christum esse arborem inversam, quæ radicem in cælo habeat: se esse de terra terrenum, Christum vero de cælo cælestem: *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur: qui de*



*cælo venit, super omnes est, ait præcursor Domini, Joan. III. Secundo, Christum de cælo ad nos salvandos venisse tamquam peregrinum: se vero de terra peregrinari ad cælum, ut indicat S. Chrysost. loco citato. Tertio, Christum quævisse in terra prædam suam, salutem animarum, se vero in cælo quærere prædam suam; Christum instar gallinæ expandisse alas suas in cruce, ut sub eas revocaret pullos suos, se vero velut pullum confugere debere subter alas Christi. Denique, (secundum Theodoret. orat. de charitate): « Rogavit carniſices ne similiter atque Dominus trahi figeretur, sed contrario modo: veritus (quod est verisimile) ne eadem passio eumdem sibi ab insipientibus honorem conciliaret. » Quanta sapientia hujus piscatoris! Vidit humani generis hostem hominis calcaneo, in hora scilicet mortis maxime insidiari: idcirco in sua cruce pedes et calcaneos sursum porrexit, ne in ultimo illo conflictu morsui serpentis esset obnoxius, quasi orans id Psal. LV. *Non veniat mihi pes superbix, et manus peccatoris non moveat me. Bone Deus! Quis in splendore et honoribus a vana gloria securus erit, si Petrus in probrosa cruce incidere in illam timuit? Ac licet tota vita fortiter pugnandum sit contra bestiam illam, maxime tamen exerendæ vires in articulo mortis, ubi serpens ille antiquus viris perfectis maximas ponit insidias. Hinc S. Cathar. Sennens. in morte configens cum dæmonibus, atque ut videtur, de inani gloria tentata vel accusata, iis respondit: *Vanam gloriam nunquam, sed veram utique gloriam et laudem præpotentis Dei, ut in ejus vita, 29. apr. Hoc sciens S. Mart. S. Franc. et alii quidam sancti morientes, in terram deponi voluerunt, ad instar scilicet bubonis, qui in terram resupinans unguibus contra hostes dimicat. S. Laur. Justin. moriens petebat micæ tantum in cælo de sanctorum mensa colligere, addens: *Nimum mihi fuerit, et heu! quam nimum, si subter calceos infimi electi tui loculum aliquem pusillo servulo tuo non negaveris, ut in vita, 8. jan. S. Fulgent. episc. Ruspen. in morte petiit veniam a fratribus suis, si cui forte molestus et difficilis, aut modum severitate sua transgressus fuisset, in vita, 4. jan. Similiter S. Godefr. comes Cappenb. ord. Præmonstrat. et alii.****

IV. Quia summus Ecclesiæ pastor et caput Ecclesiæ sui martyrii exemplo totam Ecclesiam illuminavit, et simul in fide corroboravit. Non est par conditio capitis et membrorum, principis et subditorum. Quod enim princeps facit, longe plus momenti habet, et potentiore vinculo subditos post se trahit: *In te oculi respiciunt totius Israel, ait Bethsabæa ad regem David, III. Reg. I. Dum ergo S. Petrus in capite orbis, Roma, et*

sede sua apostolica, martyrio et sanguine suo Christi fidem consignavit, in eadem fide universam Ecclesiam roboravit, necnon ad similem confessionem animavit. Multo igitur maxime per hoc exemplum suum plane heroicum Dei gloriam amplificavit. Prælium quoddam hujus rei præmisit Joan. XX. quando una cum Joanne cucurrit ad sepulcrum. Prior enim Joannes venit ad monumentum, sed non intravit, sive reverentia erga Petrum, sive timore et horrore sacro præpeditus. Venit Petrus posterior, sed prior ingressus est: *Tunc ergo, ait Joannes de se, introivit et ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum. Exemplum igitur suo traxit post se Joannem, ut indicat vox ergo. Pari ratione, quando idem Petrus præcessit ad martyrium, præsertim tale, et passioni Christi tam conforme, quis dubitare potest corroborasse eum suo exemplo totam Ecclesiam, et animasse quam plurimos ad simile certamen? Quo enim præcedit pastor, eo sequuntur et oves: quo caput, eo et membra. Unde S. Hier. ad Heliodor. *Domus, inquit, episcopi et conversatio, quasi in speculo posita, magistra est publicæ disciplinæ; quidquid fecerit, id sibi oves faciendum putant. Duo hic videamus luculentissima exempla. Primum est v. t. a Eleazaro, qui cum esset e primoribus Scribarum, seu, ut Joseph. I. de Macch. c. III. ait: *Caput et princeps sacerdotum, prævit aliis exemplo suo, malens exeruciari exquisitis tormentis, quam contra legem patriam porcinis vesci carnibus. Quo suo exemplo animavit ita Judæos alios, juvenes præsertim, ut mox septem Macchab. fratres eadem constantia resisterent impio Antiocho, et acerbissima quæque supplicia sustinere mallent, quam prohibitis escis pollui, II. Macchab. V. et VI. Quam ob causam appellatur eorum pater a Greg. Naz. orat. XXII. non natura sed institutione; qui sic inducit loquentes: *Eleazari discipuli sumus, pater prius decertavit, filii postea certabunt: et D. Ambros. I. de Jacob, c. XI. *Sequimur patrem filii; discipuli doctorem. Quod si hoc potuit exemplum Eleazari, quid non putamus effecisse in Ecclesia exemplum S. Petri? Quot filios hunc patrem secutos existimabimus? Alterum est ex n. t. de S. Cypr. celeberrimo Carthag. episcopo in quem totius civitatis imo et Africæ oculi respiciebant. Qui cum ad tribunal vocatus, intrepidus compareret, tota pene civitas eum secuta est, usque ad martyrii locum, ad sextum ab urbe lapidem, ejusque fortitudine ac constantia adeo confortata, ut plerique omnes cum ipso mori optarent, dicerentque: « Doleo, quod non comes fuerim. Sed illius victoria triumphanda est. De victoria triumphabo? Sed doleo quod comes non sim. Multum ac*****

nimis multum de gloria ejus exulto; plus tamen doleo quod remansi, » Bar. anno 261. Erat autem primus episcoporum Carthaginiensium, qui sanguine suo subscripsit fidei christianæ. At multo adhuc plus erat summum Ecclesiæ pastorem et primum Christi vicarium præire gregi suo ad sequelam crucis Christi, longe igitur magis per ipsum glorificatus fuit.

V. Quia magistrum suum in difficillimo passionis itinere seipsum abnegando perfecte secutus est; quod utique in gloriam non discipuli tantum, sed imprimis magistri cedit. Quemadmodum enim armiger Jonathæ herum ad difficillimam expeditionem se vocantem sequens, et post eum ad stationem Philistinorum per dentatas petras in montem adrepens et Philisthæos invadens atque cædens, ita ut alii ante Jonatham caderent, alios ipse stermeret, non modicam domino suo gloriam et victoriam pro parte sua paravit, I. Reg. XIV. ita et S. Petrus vocatus et ipse a Domino suo ad sequelam crucis, et post ipsum in eam ascendens, sicque gentiles sua confessione sternens, magnifice Christi Domini gloriam adauxit. Christus cum in monte Oliveti secundum appetitum sensitivum a passione abhorreret, eum tamen coercuit, et rationi ac voluntati subjecit. Petrus etiam a carcere ad instantiam Christianorum fugiens, dum latebras quærens Christum obvium habet dicentem: *Vado Romam iterum crucifigi; mox divinam ejus voluntatem intelligens, suam ei tradidit, et in carcerem ad martyrium rediit, quasi jam ab alio cinctus, juxta prædictionem Domini, et ductus quo non volebat. Ad hæc, sicut Christus innocentissimus per falsas criminationes ad mortem condemnatus fuit, subitque libens iniquissimum judicium; ita et S. Petrus, cum esset prorsus vitæ inculpabilis, partim fictis calumniis oppressus, quod scilicet auctor incendii Romani fuisset; partim odio pietatis, quod Simonem magum volentem dejecisset, ad supplicium raptus est. Denique, sicut Christus cruci affixus, multos e circumstantibus ad se traxit et convertit; ita et Sanctus Petrus una cum Sancto Paulo in custodia Mamertini multos suos custodes, ut Processum et Martinianum velut primarios cum asseclis, ad Christum convertit et in carcere baptizavit. Neque dubium ad crucem ejus non paucos a gentilismo ad christianismum transiisse, visa ejus patientia et fortitudine, lumine cœlitus demisso, etc. licet ea vel non satis authentice scripta, vel omnino prætermissa sint. Sic igitur ad extremum glorificatus in Petro Christus fuit, dum in eo impletum est quod prædixerat: *Cum senueris, alius te cinget, et ducet quo tu non vis: et rursus: *Sequere me.***

Videmus ergo Petrum non voce sola, sed et cithara adhibita Deo laudem cecinisse, eumque glorificasse, sua scilicet cruce. Nos, auditores, si in hoc difficili instrumento ludere non possumus, demus saltem operam, ut quem voce confitemur, saltem manu, seu opere, simul glorificemus.

## CONCIO III.

VARIÆ QUÆSTIONES CIRCA PETRUM EJUSQUE SEDEM ROMANAM.

I. Cur uno eodemque die celebretur festum Petri et Pauli? — II. Uter eorum major? — III. Cur diversis affecti supplicii? — IV. Cur Petrus inverso capite crucifixus. — V. Cur Paulus decollatus lac pro sanguine stillavit? Et aliæ diversæ quæstiones circa B. Petrum et sedem Romanam.

## THEMA.

*Interrogavit eos: Quem dicunt homines esse Filium hominis? Matth. XVI.*

Quandoquidem Christus Dominus in hodierno evangelio interrogationes instituit, primo, quid de se dicerent homines, deinde, quid discipuli; volumus et nos instituere quæstiones aliquot in gratiam rudiorum. Et primo, quid de Petro et Paulo, quid de Petri successore, s. pontifice scribatur et dicatur: siquidem alii bene, alii male de his loquuntur.

I. Cur uno eodemque die celebrat Ecclesia festum Petri et Pauli? R. primo, quia duo apostolorum principes, quorum unus Petrus primatu et potestate summus, alter Paulus laboribus et prædicatione fuit: hic gentium, ille Judæorum maxime prædicator et apostolus: *Petro claves potentix, Paulo claves scientiæ datæ, ait Aug. ser. XXVII. de sanctis.*

Secundo, quia charitate intimi simul Romæ laborarunt in evangelio, merito non impares. Unde Petrus in epistola sua Paulum *charissimum suum fratrem* appellat.

Tertio, quia simul eodem anno et die Romæ passi, teste Baron. Unde S. Leo, ser. I. de nat. apost. ait: « De eorum meritis atque virtutibus nihil diversum, nihil debemus sentire discretum, quia illos et electio pares, et labor similes, et finis fecit æquales. »

II. Uter eorum major? Res clara est ex evangelio. Petrus jurisdictione major, quia a Christo claves accepit, eique soli oves commendatæ: sed quoad labores, prædicationem et gratias apostolicas, non impar ei Paulus; qui alioquin ipsi



semper cedit, eumque Jerosolymis bis adiit, ut cum eo conferret evangelium suum, eumque videret ac veneraretur, ut testatur ipse ad Gal. I. et II.

Cur ergo in antiquis aliquot picturis Paulus a dextris Petri pictus? Respondet ad hoc beatus Petrus Damiani card. l. II. epistolarum, epistola XVI. quia Paulus ex tribu Benjamin, verus Benjamin, id est, filius dextræ ex Saulo Paulus, e lupulo agnus factus. Secundo, quia Petrus senior juniorem Paulum præmittit, ita ut Paulus claudat Petri dextram ac tegat, uti in sigillis pontificiis apparet. Sic imperator sequitur electorem, a latere eum præmittens. Denique, incuria pictorum modo ad dextram, modo ad sinistram positus videtur. Sic Bellarm. controv. de pontif.

III. Cur diversis affecti suppliciiis? Respondeo: Paulus, quia civis Romanus erat, decollatus est; Petrus quia externus, crucifixus, velut impietatis adeoque immanis supplicii reus. Secundo, quia Petrus ob Simonem magum e volatu dejectum, quem maximi fecerat Nero, studiosus magorum: Paulus autem ob pellicem Neroni abstractam, et ad fidem ac pudicam vitam deductam, potissimum incarcerati et occisi sunt, ut habet Baron. an. 68. Itaque ob diversas causas diversa subierunt supplicia.

IV. Sed cur Petrus inverso capite crucifixus? Respondeo, quia id petiit, primo, ex humilitate, quasi indignus esset crucifigi eodem modo, quo pependit magister ejus. Honoris ergo prærogativam etiam in cruce agnoscit, et certat ibi cum magistro de inferiore loco. Miratur hanc humilitatem in atroci supplicio S. Augustinus, ser. XXIX. de sanctis, et merito. Secundo, quia Petrus velut: *E terra ad cælum iter parabat*, ut ait S. Chrysostomus, ho. in prin. apost. Christus autem e sepulcro in terram rediturus per resurrectionem. Tertio, quia veritus est Petrus: *Ne eadem passio eundem sibi ab insipientibus honorem conciliaret*, ait Theodoretus, orat. de charit. Quarto, quia Christus prædam suam moriens in terra quæsit, animas scilicet redemptas: Petrus autem in cælo gloriam suam et Dominum suum.

V. Cur Paulus decollatus lac pro sanguine stillavit, et tres saltus edidit, ad singulos nomen Jesu enuntians, et tres fontes eliciens? Ad primum respondit S. Ambrosius, serm. LXVIII. *Quid mirum si abundat lacte nutritor Ecclesiæ, sicut ipse ad Cor. ait: Lac vobis potum dedi, non escam?* Ad secundum respondeo, quia illi commissum erat nomen Christi portandum coram gentibus et regibus, et filiis Israel. Hoc quia fecit vivens, vo-

luit facere et moriens, ostendendo quod in tres orbis partes nomen Jesu et suam doctrinam esset delaturus. Dum vero duceretur ad mortem, tres milites apparitores convertit, et martyres fecit, Longinum, Acestorum, Magistrum, necnon percussorem suum, cum is vidit vestem suam non sanguine sed lacte aspersam, Baron. an. 60.

I. Cur Petro potius primatus commissus, quam Joanni? Respondet S. Hieronymus, l. I. contra Jovin. quia: *Petrus senior erat, ne Joannes adhuc adolescens et pene puer progressæ ætatis hominibus præferretur*. Similiter S. Hidelbertus, ep. XII. *Nam coram discipulis offendiculum ponere noluit, nec majoribus anteponeere juvenem. Detulit igitur ætati, non meritis*. Secundo, ut Petrus qui semel lapsus fuit, sciret compati lapsibus et infirmitatibus aliorum, adeoque se non extolleret supra alios, in suprema illa dignitate. Quam etiam ob causam ambulans supra mare, permissus est mergi paululum. Tertio, ob majorem ejus fidem et animositatem, qua primum ipsum Dei Filium confessus fuit.

II. Quid sunt claves Petri? Respondeo, jurisdictio claudendi et aperiendi cælum, seu solvendi et ligandi. Unde duæ ipsi apinguntur, aurea et argentea. Ex quo patet necessitas confitendi in specie peccata; quæ requirit, ut animarum iudex sciat, claudere ne debeat, an aperire confitenti cælum.

III. Cur eum *petram* appellavit Christus? Respondeo primo, quia ei ipse Christus *petra* fuit ac dictus est, uti Isa. VIII. *Petra scandali*; ut quem sui gregis relicturus erat vicarium pastorem, eundem suo nomine insigniret, ita Tertullianus, Basilus, Hieron. apud Baron. an. 31. n. XXVI. Secundo, quia fundamentum Ecclesiæ stabile, ad instar *petræ* futurus erat. Hinc Romanus pontifex gestat in pectore crucem ex adamante. Sæpius eversa est Roma, capti aliquot vel ejecti pontifices: nunquam omnino extincti.

IV. Cur pingitur calvus? Respondeo, quia Antiochiæ prædicanti caput attonsum et rasum fuit ab impiis: *Quasi homini servili*, ut ait Beda, l. V. Ang. hist. c. XXIII. quod postea vertit Ecclesia ad ejus honorem, dum iussit clericos attonderi, partim ad ejus opprobrium imitandum, partim ad Christi coronæ spinæ memoriam.

V. Cur Romam cathedram suam transtulit? Respondet primo, S. Leo, ser. I. de SS. Petro et Paulo: *Ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet*. Erat enim tum Roma omnium gentium domina simul et hospitium quasi. Secundo, ut in capite orbis cathedram

suam velut omnium Ecclesiarum caput constitueret, et successori relinqueret. Tertio, ut ibi Simonem magum et hæresiarcham opprimeret, velut venenum Christianorum.

VI. Cur vocatur *papa*? Respondet primo, Remigius Antissiod. de celebratione missæ, quod sit pater patrum, id est, episcoporum. Secundo, Baron. quia Græcum significat patrem, sicut Hebraicum *abba*. Id olim episcopis etiam aliis fuit commune usque ad annum 850. sed post ex decreto Gregor. VII. solis Romanis pontificibus attributum, Bar. in mart. 10. jan.

II. Cur mutare nomen solent electi pontifices? Respondeo, primo, ad imitationem Petri, qui electus etiam a Christo nomen aliud sortitus est. Secundo, ut norint se jam aliam personam, Christi videlicet, non suam representare: aliter perinde etiam vitam sibi instituendam. Falsum ergo est, quod Platina tradit et quidam alii, id fieri ad imitationem Sergii secundi, qui *os porci* seu Boccaporco, appellatus sit. Sergius enim quartus, quia vocabatur Petrus, ad honorem S. Petri, nomen id in Sergium mutavit, ut docet Baron. Inde hucusque ad honorem S. Petri, nemo id nomen assumpsit. In prædicationibus S. Malachiæ episcopi ultimus, qui est trigesimus ab hodierno Innocentio, dicitur vocandus Petrus Romanus. Id quod Deus novit.

VII. Cur appellantur sanctissimi? Respondeo primo, quia representant Christum. Secundo, quia plurimi in ea sede sancti fuerunt, martyres et confessores, paucissimi mali, iique fere intrusi potentia principum sæcularium. Tertio, ut admoneantur officii sui, qui sunt pastores tot millionum animarum, ut eas perducant ad sanctitatem. Et si olim Christiani omnes vocabantur sancti, quia tales fere erant et esse debebant; quid mirum si pontifices dicantur sanctissimi?

Interim, memores humilitatis suæ, nominant se *servos servorum Dei*, quod primum cæpit S. Greg. Magnus, signantque litteras suas hac formula: *Sub annulo piscatoris*.

VIII. Cur patiuntur pedum oscula? Respondeo, quia hoc non ipsi quidem expetierunt; sed primi Christiani, non privati solum, sed et reges excogitarunt, in eo non personam hominis privati, sed Christi venerantes. Ita in Actis apostolorum, c. IV. dicuntur Christiani venisse et posuisse possessionem suarum pretia *ad pedes apostolorum*. Post Justinus imp. accidit ad pedes Joannis Pp. Constantinopoli, obviam ei procedens: Justinian. imp. ad pedes Constantini Pp. Pipinus Galliæ rex ad pedes Steph. II. etc. uti refert Tho. Boz. X. II. de sign. eccl. sig. LXXXVI. Atque ut ostendat pontifex suæ privæ personæ hoc nec fieri, nec de-

VI. PARS FESTIVALIS.

beri, in holoserico eoque rubro dextri pedis calceo crucem auro effigiatam gerit, quam osculandam porrigit, ut is honor cruci et Christo, non sibi impendatur. Quid, quod olim reges et principes etiam ad aliorum inferiorum episcoporum pedes se adolvere solebant, ut ex Augustino, Ambros. Hieronymo et historicis ostendit Corn. in Isa. c. XLIX.

XI. Cur nullus hactenus viginti quinque annis (probe quidem ex 245. accessit S. Silvester et S. Leo. I. necnon Urbanus VIII. hoc anno 1644. primum defunctus, qui annos viginti unum, et Hadrianus I. qui viginti quatuor. fere attigit; nullus tamen ex omnibus æquavit) rexit Ecclesiam Romæ, sicuti S. Petrus? Requisitus de hac re fuit B. Petrus Damiani card. ab Alexandro II. Pp. cui respondet, id a Deo ordinatum: « Ut humano generi metum mortis incutiat, et quam despicienda sit temporalis vitæ gloria, in ipso gloria principatu evidenter ostendat: quatenus, dum præcipuus hominum tam angusti temporis compendio moritur, tremefactus quisque ad præstandi sui obitus custodiam provocetur, et arbor humani generis, cum cacumen ac verticem suum tam facie corruiisse considerat, statu concussa formidinis, in suis undique ramusculis contremiscat. » Addidit non esse parem rationem cum regibus, quia nullus toti orbi imperat, sicque mors unius aut alterius regis non scitur nec curatur ab aliis regnis.

Secundo, ut ipsi admoneantur humilitatis et modestiæ, dum brevi se morituros norunt, sicque magis strenue laborent et breve illud tempus heroicis actibus impendant. Hinc S. Bernardus, epist. CCXXXVII. ad Eugenium Pp. scribit: *Quantorum in brevi Rom. pontificum mortes tuis oculis aspexisti! Ipsi prædecessores tui tuæ certissimæ et citissimæ decessionis admoneant, et modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi*.

Tertio, ut ne facile aliquis papatum ambiat, quem tam brevem novit. Denique, ad honorem et prærogativam D. Petri.

Jam vero quis non agnoscit Christi Domini nostri potentiam et gloriam, qui apostolos suos ad tantam etiam in terris provexit gloriam et honorem? Petrus piscator fuit, Paulus coriarius, et jam a tot sæculis in summo honore sunt. Eorum memoriam angustissima templa extracta sunt: eorum corpora et monumenta supersunt, locus martyrii S. Petri, Janiculus, ab eo mons aureus dictus est: locus martyrii S. Pauli ad tres fontes, adhuc celebres, appellatus, hodieque apparet et colitur. Ad illorum pedes et templorum vestibula sepeliri sibi honori docent reges.